

N<sup>o</sup> C  
280

4740.



N. n. 280.

---

H. Lammig v. Avenleben in Exleben



# Tristes Elegi

In Beatum obitum

MATRONÆ GENEROSISSIMÆ

# DE PFUEL,

Mœsto Calamo, conscripti

a

## Christiano Gottlieb Kampen

Art. liber. Cultore.

Hec



in horum obitum



**I**nvida cur nobis longam natura negavit  
 Vitam, cur brevis stamina parca gerit?  
 Tempora cur pereunt nostra ut vapor udus in aëra?  
 Cur nobis agitur spiritus iste brevis?  
 Bruta quibus non est animus ratioque Futura  
 Prospiciens, vitæ tempora plura vident,  
 Ipsi in deserto, nullo insidiante, leones  
 Extendunt vitam sæcula multa suam.  
 Annos perdurat cornix annosa trecentos,  
 Nosque brevi vitæ conditione sumus.  
 O! quam nostrorum sunt tempora pauca dierum!  
 Nascimur ut fimus præda parata neci.  
 Utque David memorat, Mosen cecinisse per annos,  
 Vita humana modo septuaginta manet,  
 Firmior & quibus est aliquando fera senecta,  
 Hi vitam degunt lustra bis octo suam.  
 Sic queritur Moses humanæ tempora vitæ,  
 Illorum quod sit terminus iste brevis.  
 Verum censendi sunt terque quaterque beati  
 Illi, vita quibus tam diuturna fuit.  
 Annorum spatium per paucis contigit istud;  
 Pars hominum haud numerat plurima lustra decem.  
 Quidque nimis longam lucem duxisse iuaret,  
 Cum sint in mundo multa ferenda mala?  
 Namque iuventa brevis velocibus auffugit alis,  
 Ætas quæ summo robore floret, abit.  
 Tunc subeunt anni fragiles & inertior atas,  
 Hanc subito sequitur mors trepidante pede

Hæc

Hæc est humanæ quàm dixi fabula vitæ,  
 Fabula quæ multas sœvit habere cives.  
 Immentos homines debent perferre labores,  
 Et quoque coguntur multa pericla pati.  
 Sæpe per adversas agit hos fortuna procellas,  
 Fortuna ignorans certa manere loca.  
 Cur votis igitur longam puerilibus optant  
 Vitam homines? cur est mors inimica tibi?  
 Cum tibi summa cui est mortis vitæque potestas  
 Ad vitam ducens morte recludat iter.  
 Nam domus est tellus animis haud commoda nostris  
 Altius it nostræ conditionis honos,  
 Qui nimium terras amat & mortalia, tandem  
 Fallitur, est alio patria nostra loco.  
 Terra peregrina est: cœlum sed mansio firma,  
 Nos ubi perpetuo, gaudia mille manent.  
 Utque profecturus peregrina in regna viator  
 Inceptum properans carpere pergit iter:  
 Sic arumoso quid nos retinemur in orbe,  
 Atque diu ferimus multa molesta viæ?  
 Hæc Deus omniscius prævidit cuncta futura,  
 Hinc vitæ spatium tam breve constituit.  
 Quæ post busta vives pietate, Matrona Beata,  
 Cujus semper honos fama que lausque manet,  
 Felix vixisti jam septuaginta per annos,  
 Corpus nunc linquis, non peritura tamen.  
 Hic est Mosaico descriptus terminus ore,  
 Sic Tua sic iustum vita peregit iter,  
 Sic fessas morbo, tandem succumbere vires,  
 Fas fuit, & mortis jura subire fera.  
 Sat Tibi, sat famæ vixisti, satque saluti.  
 Sed non sat nobis, atque Tuæ Domui,  
 Non tua vita tuis Charisque Nepotibus atque  
 Cognatis Claris sat spatiosa fuit.  
 At tua præsertim mors immatura videtur,  
 His, exceperunt qui benefacta tua.  
 Pauperibus clemens, in egentes larga fuisti,  
 Exstitit in clerum sæpe benigna manus.  
 Impensis aded voluisti parcere nullis,  
 Ordine quo starent sacra, Matrona, Dei.  
 Hinc Te post mortem merito desiderat omnis  
 Ille, cui virtus notificata tua est.  
 Luge igitur merito, Gielsdorff, tristissima fata:  
 Subjecti, largas fundite vos lacrymas!

Hoc

Hoc etenim vobis est irreparabile damnum,  
 Heu! Hera vestra necis concidit imperio.  
 Quæ quamvis fuerat generosa stirpe creata,  
 Sola tamen virtus nobilitavit eam.  
 Sed quid tristamur, quid lamentamur ademtam?  
 Debemus lacrymis imposuisse modum,  
 Quid juvat innumeris auras implere querelis?  
 De terræ tumulo quis revocabit eam?  
 Ergo siste, Domus, querulum, Generosa dolorem,  
 Haudquæquam luctus tristitia fata levat.  
 Vestra beata parens per mortem venit ad astra:  
 Nunc meliorem potest conditione frui.  
 Non moriuntur enim veræ pietatis amantes,  
 Perpetuâ est vitâ, tempus in omne vigent.  
 Hæc quoque jam vivit moriens in sede beata,  
 Hospitis exosa est tædia longa soli.  
 Nunc abit & gaudens sanctis miscetur olympi  
 In cœtu; captans gaudia mille, sacro.  
 Tuque Matrona, Tibi fiat mors porta salutis,  
 Te Deus in gremium suscipiatque suum,  
 Atque piæ inter velit assignare Matronas,  
 Ipse, tibi, possis quò remanere, locum.  
 Carpe diu placidam sub marmore clausam quietem,  
 Hoc est extremum, quod mea vota ferunt;  
 Donec venturus iudex tibi præmia reddens  
 Extrema repetet membra sepulta, Die.











# Tristes Elegi

In Beatum obitum

NÆ GENEROSISSIMÆ

# PFUEL,

o Calamo, conscripti

à

## niano Gottlieb Kampen

Art. liber. Cultore.



Hec

Hanc subire leditur mors trepidante pede  
Tunc labunt anni fragiles & incertior aetas  
Ritasque summo robore horret, abie  
Namque juvenis brevis velocibus aulicis  
Cum sit in mundo multa ferenda  
Ovidius nimis longam tacem dixisse iuvat  
Pars hominum dand numerat plurimam  
Annorum spatium per paucis consistit illi

